

videlicet, mutua illa pugna, causa sit præcipitationis Solis. Atqui nemo, tum non videbit, vim auri sclopetantem & percutientem, adhuc manere prorsus indemonstratam, quum diversissima sint, præcipitatio solis, & vis ejus fulminans. Neq; vel hilum eo juvatur, quod argutari pergit, Oleum tartari percutere spiritum nitri, summè purificatum, qui se in illo conflictu, cum sulphure solis suo adversario jungat, & quia sulphur illud solis, à natura summè depuratū sit & vulgari nostro sulphure longè subtilius, ideò valentius, & minore quantitate, operationes suas potenter efficere, videlicet quia sal armoniacus, pro constituenda percussione causa adæquata, minimè sufficere videbatur, ideò de causa adjuvante cogitandum erat Crollio, quam video esse sal nitrum percussum, ab oleo tartari, & conjunctum cum sulphure solis.

At verò non tantum nitrum, sed universum sal corrosivum, quod in aqua regia continetur, percutitur, idq; ex æquo, nec magis unum quàm alterum. Atq; hoc ipsum universim junctimq; percussum, non magis se sociat sulphuri auri, quàm ejusdem hujus mercurio. In calce enim solis, teste reductione, subsistit aurum corporaliter totum secundum se totum, nulla ejus pars subsistit ibi seorsim, nulla istic facta est sulphuris separatio. Itaq; quicquid indidem, cum auro unitur, cum toto auro uniri dicendum est, non cum sulphure seorsim.

Quod si vim  $\phi\lambda\omicron\gamma\iota\varsigma\eta\nu$ , calcis auri, cujus ne verbo quidem meminisset, à spiritu nitri, deduxisset causatus, quemadmodum omnis res natura ortus sui quasi memor, perpetuò redire desiderat, ad id ex quo fuit orta. Ita quoque in calce auri, spiritum  
nitri